



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio LXXVI. De operatione theandrica Christi. S. Thom. q. 19. a. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 19. art. 1.

DISPUTATIO LXXVI.

De operatione theandrica Christi.

S. Thomas q. 19. art. 1.

S. 1.



Thomas qu. 19. disputat de unitate Christi. quod atinet ad operationē, satis constat ex disput. superiori de operationibus humanis Christi. item totum hoc volumen illarum est plenum: actum enim est de libertate & merito, de dolore, de admiratione, timore, alijsque affectibus. Diuina autem operatio probatur apertē ex Evangelio: *Pater meus vsque modō operatur, & ego operor.* idque constat apertē ex ijs testimonijs, quibus confirmatur diuinitas Christi. Sunt ergo in Christo operatio diuina, & humana: superest autem explicare quid sit operatio theandrica? cuius meminit B. Thomas art. 1.

§. 2. Theandrica operatio est idem apud Græcos, quod apud Latinos *Dei uirilis*, seu Dei hominis, à nomine *θεός*, *Deus*; & *άνθρωπος*, *homo*. Si vim nominis attendas, quæcumque operatio orta à supposito diuino iam unito humanitati, posset dici *theandrica*. in qua significatione recentiores nonnulli eam vsurpant. Verum hoc pacto opera solius diuinitatis posset dici *theandrica*, quia etiam sunt à Deo homine.

§. 3. Alio modo sumitur *theandrica* pro aliqua operatione humanitatis, celebri quidem & digna Deo, ad quam concurrebant simul diuina & humana voluntas. verbi gr. opera meritoria Christi, & actiones miraculosæ; ut reuocatio mortuorum in vitam, dicebantur *theandrica* operationes: quia natura humana & diuina iungebantur ad illas efficiendas, ut duo principia necessaria ad illorum effectum in esse moris. in meritis quidem, quia humanitas exhibebat opus; diuinitas autem valorem per unionem: item salus hominum ex illis operibus ab utraque voluntate procedebat. in miracu-

lis autem, quia voluntas humana volebat, exempli gr. Lazarum vocare, cæcum oblinire, hydropicum tangere: quæ non erant necessaria ut diuinitas posset physicè ea miracula efficere: erant autem necessaria ut fierent à Christo ut opera meritoria, & in præmium meritorum Christi: diuinitas autem volebat Lazarum resuscitare ad vitam, cæcum donare oculis, & hydropicum siccitate ventris.

§. 4. Has operationes esse duas, est certissimum, ut sæpè dixi, nec in se physicè uniantur: at verò P. Vasquez disp. 5. cap. 5. eas vocat operationem compositam ex humana & diuina. P. Suarez disp. 4. sect. 4. §. *Hæc sententia*, valdè impugnat eam phrasim, quia fauere videtur hæreticis constituentibus in Christo vnam tantum operationem. Verum P. Vasquez non vocat eam actionem compositam verè, sed dicit eas duas esse operationes inter se connexas: suamque doctrinam luculenter confirmat ex Patribus, à quibus Macarius & alij hæretici anam arripuerunt sui erroris: nam actiones externas vocabant non operationes, sed operata, ut colligitur ex B. Thoma art. 1. actionem autem voluntatis vocabant operationem, quam dicebant esse vnam tantum, nempe diuinitatis: & quia hæc coniungebatur cum actione externa, dicebant utramque esse vnam operationem. In quo sensu damnati sunt à VI. Synodo, & Agathone. at verò si in præsentia agnouissent duos actus voluntatis, alterum humanæ, alterum diuinæ inter se non unitos physicè; non essent damnati. & quidem illi erant Apollinaristæ & Monothelitæ, quorum error fuit negare mentem & voluntatem humanam. De operatione theandrica mirè disputat S. Damasc. li. 3. de Fide cap. 19. aliqua dixerat cap. 15. De merito Christi latè disserui disp. 63.

DISPUTATIO LXXVII.

Vtrum Christus mortem obierit adstrictus præcepto, an solutus?

S. Thom. qu. 20. & 47. art. 3.

SECTIO I. *Aliqui significatus præcepti atque mandati.*
SECTIO II. *Qui differant consilium atque præceptum?*
SECTIO III. *Vtrum Christus ut homo sit præcepti capax atque consilij?*
SVBSECTIO I. *Ratio quæstionis.*

SVBSECTIO II. *Prima conclusio.*
SVBSECTIO III. *Ad argumenta.*
SVBSECTIO IV. *Secunda conclusio.*
SECTIO IV. *Vtrum Christo sit præceptum naturale moriendi pro hominibus.*
SECTIO V. *Vtrum Deus præceperit Christo mortem subire?*

SVB-